

indeterminata; ergo ut honeste determinetur, necessaria est divina præmotio, quæ moraliter illam prædeterminet, alias efficacia divinorum auxiliorum naturalium, non in Deum, sed in voluntatem esset referenda, quod est absurdum, quia cum efficacia sit id quod præcipuum est in divinis auxiliis, illa maxime in Deum referenda est. Et confirmatur, primo quia si Dei voluntas moraliter non prædeterminaret, bona vel mala temporalia quæ hominibus eveniunt non essent in Deum referenda, quia communiter veniunt ex negotiatione, vel operationibus humanis quæ per liberam determinationem fiunt; ergo si voluntates hominum non prædeterminarentur a Deo, effectus ex illis provenientes non refunderentur in Deum, et consequenter non essent gratiæ Deo agendæ pro his bonis; ut, verbi gratia, quando pauper accipit eleemosynam a divite, potest quidem et debet gratias agere homini danti, quia sua voluntate se ad id determinavit, non tamen Deo, qui voluntatem dantis non prædeterminavit. Confirmatur secundo, quia Scriptura tribuit Deo hanc prædeterminationem moralem respectu voluntatis, ut late probat Augustinus, lib. de Grat. et lib. arbitr., cap. 10, eo quod 2 Regum 17 dicitur Domini nutu dissipatum fuisse consilium Achitophel, agendo scilicet in corde Absalon ut tale consilium repudiaret; et quod Esther 5 dicitur Deum convertisse cor Assueri, etc. Simile est illud Genes. 43: *Deus autem meus omnipotens faciat illum vobis placabilem*, ubi Cajetanus notat petiisse Jacob a Deo, ut animum præsidis Ægypti flecteret. Et similia leguntur sæpe in Scriptura, 1 Regum 10 et 11, et Judith 6 et 14. Ac denique illud est vulgatissimum: *Cor Regis in manu Dei est, et quocumque voluerit vertet illud*, Proverb. 21.

13. *Dissolvitur objectio superior.* — Ad primam rationem negatur prima consequentia; imo addimus oppositum sequi ex antecedenti; nam si, posita præmotio morali, voluntas est vere libera et indifferens, cum illa sola præmotio morali, si Deus præbeat generalem concursum, poterit honestum actum elicere; nam si, ultra illam præmotionem moralem sufficientem ad eliciendum actum liberum, est necessaria alia motio moraliter prædeterminativa, profecto illa prior non erit sufficiens in suo genere causæ moralis, quia in eodem genere alia major et efficacior necessaria erat; ergo falso appellatur illa prior præmotio sufficiens. Falsum item est voluntatem cum illa sola esse

moraliter liberam ad operandum, cum per illam solam moveri libere non possit ad talem actum, nisi major adhibeatur; quæ ratio per se sufficientissima in hac materia est; eam in libro quinto pressius urgebimus. Veruntamen etiam ad hominem potest confirmari, quia prædeterminatio illa moralis, si necessaria est, profecto ex parte actus primi et virtutis activæ voluntatis necessaria est: quia omnino antecedit actum secundum, et non potest esse nisi aliqua cogitatio vel motio interna per modum consilii, vel attentioris considerationis, vel alio simili modo; hoc enim modo idem auctor explicat hanc causalitatem moralem in articulo primo, immediate post argumenta. Est ergo necessaria illa prædeterminatio, ut voluntas habeat integras vires, non solum physicas, sed etiam morales simpliciter necessariae ad illum actum; ergo sine illa motione non habet has vires; ergo cum alia præmotio morali non habet sufficientes vires, et consequenter nec libertatem proximam ad talem actum. Sic enim idem auctor alibi colligit prævium concursum non posse requiri ex parte actus primi, quia alias in causa secunda non supponeretur virtus sufficiens ad agendum. Nec minorem habet efficaciam hæc ratio in viribus moralibus (ut sic dicam) quam in physicis, si utraque tales sint, ut sint simpliciter necessariae ad usum libertatis, quia talis libertas prærequirit potestatem simpliciter in omni genere; imo non solum ex parte virtutis per se activæ, sed ex parte etiam omnium conditionum, quæ ad agendum necessario præsupponi debent, ut in Prolegomeno 1 late diximus.

14. *Ad confirmationes.* — Concludimus ergo cum motione morali de se non prædeterminativa voluntatis, posse voluntatem libere operari, etiam honeste. Ad inconveniens autem quod infertur in prima confirmatione, sequi nimirum non esse Deo gratias agendas, propter bonos actus liberos, vel propter utilitates, ac beneficia temporalia quæ interdum ex illis nascuntur, respondetur negando sequelam, quia ut hæc sint beneficia divina, vel temporalia, vel etiam moralia, non est necesse ut ex divina prædeterminatione morali proveniant; satis est enim quod fiant ex honesta aliqua cogitatione, et morali motione a Deo prævisa et provisa: ut inter homines gratias merito agimus homini danti bonum consilium ad aliquid virtutis operandum, etiamsi unus homo alterius voluntatem suo consilio non prædeterminet, licet illum inclinet et præmo-

CAPUT XLII.

PRÆVIUM CONCURSUM PHYSICÆ PRÆDETERMINANTEM NON ESSE VOLUNTATI LIBERÆ NECESSARIUM, UT ALIQUID DETERMINATE VELIT.

In præsentī etiam est sermo de prædeterminatione efficaci et quoad exercitium, et, ut jam notavi, non tractamus nunc an talis prædeterminatio sit possibilis, seu compossibilis cum usu libertatis (hanc enim quæstionem in lib. 5 reservamus), sed tractamus solum an ex vi generalis concursus voluntati liberæ debita necessario sit.

1. *Assertio: non est necessaria prædeterminatio physica voluntatis ad actus ordinis naturalis.* — Dicimus ergo prævium concursum non magis esse necessarium voluntati liberæ ad actus sibi proportionatos, seu ordinis naturalis, quam aliis causis secundis naturaliter agentibus, ac proinde ex ordinaria lege, seu ex vi generalis providentiæ solum simultaneum concursum illi tribui. Hanc assertionem maxime docent auctores allegati in cap. 33, et esse sancti Thomæ ostendam in capite sequenti; nunc rationem illius ostendo, quia si propter aliquid esset necessarius ille prævius concursus, maxime quia voluntas est potentia indifferens, seu indeterminata, et ideo indiget prævio auxilio in se recepto quo prædeterminetur; sed ob hanc causam non solum non est necessaria talis præmotio, sed potius propter illam conditionem maxime consentaneam tali potentiæ est, ut non detur illi talis præmotio; ergo. Consequentia est nota, et in majori convenimus. Minor ergo probatur, quia indeterminatio voluntatis quæ illi convenit, ut est potentia formaliter libera, non est sola indeterminatio potentiæ passivæ, sed est indeterminatio potentiæ activæ, habentis sufficientem et integram vim producendi varios actus ad quos dicitur libera, et aliunde habet talem modum operandi, ut suum actum intrinsece per seipsum voluntarie eliciat aut non eliciat; ergo ad faciendum determinatum actum non indiget extrinseca prævia motione determinante illam. Major probata et declarata sufficienter est in Prolegomeno 1, cap. 2.

2. *Ex indifferentia de libertate voluntatis id probatur.* — Addimus ergo in minori proprium esse voluntatis ferri in objectum suum per actum intrinsece ac per seipsum voluntarium, quam proprietatem aliquo modo participat appetitus sensitivus, minus vero et sine indifferentia, et ideo non est potentia libera.

veat, hæc enim diversa sunt, ut jam admonui. Item in libro 1 declaravi quomodo cogitatio congrua naturalis sit speciale beneficium ordinis naturæ, etiamsi de se non magis prædeterminet voluntatem, quam honesta cogitatio sufficiens. Sic ergo omnia similia bona quæ hominibus eveniunt, in Deum referenda sunt, non propter prædeterminationem, sed propter providentiam et efficientiam, vel physicam, vel moralem, juxta effectuum exigentiam. Unde in exemplo illo de paupere accipiente eleemosynam a divite, dicimus debere gratias agere et danti, quia libera voluntate se ad illam dandam determinavit, et Deo, quia et illi cooperatus est, et illum sua providentia in illam cogitationem congrue induxit, quod, ut dixi, sine prædeterminatione facere potuit. Hujusmodi ergo illationes et argumenta (quod præ oculis, ut dixi, habendum est) ex verborum æquivocatione, et confusione prædeterminationis cum omni præmotio morali procedunt, et ita intellecta illorum verborum distinctione, facile solvuntur.

15. *Ad secundam confirmationem.* — Altera confirmatio simili defectu laborat. Primo quidem quia omnia illa quæ in illo argumento referuntur, possunt a Deo fieri per cogitationes accommodatas, et in divina præscientia ita congruas, ut effectum a Deo intentum infallibiliter consequantur. Deinde, quia longe diversum est hanc prædeterminationem moralem esse necessariam ad omne opus, aliud vero esse possibilem, si Deus velit illam adhibere: constat enim posse Deum dare abundantius auxilium ad aliquod opus, quam simpliciter necessarium sit. Hæc autem duo in illo argumento, vel confunduntur, vel unum male ex alio infertur; nam testimonia et exempla adducta in illa confirmatione ad summum probant posse Deum prædeterminare moraliter ad bonum, et interdum id facere, quod nunc gratias damus: qualis autem sit illa prædeterminatio moralis, in libro 5 inter auxilia gratiæ efficacia explicabimus, quia talis prædeterminatio aliquam rationem gratiæ semper habet. Hinc autem non sequitur talem prædeterminationem esse necessariam; non enim omne possibile necessarium est, ut per se constat, et hoc est quod ad præsens pertinet, et jam monui, quia solum de generali concursu, sive physico, sive morali, tractamus.

Ratio vero est, quia voluntas fertur in objectum voluntarie, ut ex terminis constat, quod adeo est intrinsecum illi, ut propterea cogi non possit: ergo motus ipse quo hæc facultas fertur in objectum, illi voluntarius est; non est autem voluntarius per alium actum, alias procederetur in infinitum; ergo talis actus est intrinsece ac per seipsum voluntarius. Et hoc docuit Cajetanus 1. 2, quæst. 9, art. 4, et sumpsit ex D. Thoma 1. 2, quæst. 16, art. 4, ad 3, ubi ait: *Voluntas consentiendo objecto consentit se consentire, et consequenter volendo objectum vult se velle, quia actus voluntatis reflectuntur supra seipsos.* Et ex eodem principio dixit in 2. 2, quæst. 25, art. 2, *amorem ex ratione propriæ speciei habere, quod supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum,* utique intrinsece et per seipsum, ideoque adjungit: *Unde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare.* Et sic etiam dixit Augustinus, 8 de Trinit., c. 7: *Qui amat proximum, consequens est ut etiam ipsam dilectionem diligat.* Eademque ratio in universum est de ipso velle, seu de quolibet actu voluntatis, ut copiosius docuit idem Augustinus, 1. 2 de libero Arbitrio, c. 19, dicens: *Noli mirari, qui cæteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos posse, ut quodammodo seipsa utatur voluntas, quæ utitur cæteris, sicut seipsam cognoscit ratio, quæ cognoscit cætera.* Et hæc est ratio a priori, ob quam in sola potentia appetente potest esse formalis libertas, quia solus actus a tali potentia elicitus est intrinsece voluntarius, seu spontaneus, et ita sola potentia appetens vitaliter potest seipsam ad appetendum actualiter et vitaliter inclinare, quod maxime est necessarium in potentia formaliter libera, ut possit velle unum actum elicere, potius quam alium, vel potius exercere actum quam ab illo cessare, cum ad neutrum ex natura sua sit determinata. Et hinc etiam est quod cum voluntas possit alias hominis potentias sibi subjectas ad liberum exercitium actus movere, ipsa sola possit seipsam ad volendum movere et applicare, ut idem D. Thomas tradit 1. 2, quæst. 3, art. 5 et 4, quia actus aliarum potentiarum non sunt voluntarii, nisi propter actum voluntatis: et ita quia voluntas volendo aliquid, vult velle illud, ideo eodem actu quo vult aliquid, se movet ad volendum.

3. *Perficitur probatio.* — Ex his ergo principiis facile probamus illationem factam et assertionem, scilicet, voluntati propter indeterminationem suam non esse necessariam

physicam prædeterminationem extrinsecus ab ipso Deo illi advenientem, quia tribus tantum modis cogitari potest hæc necessitas. Primo, quia voluntas indiget tali præmotione propter imperfectionem virtutis agendi, ut per illum actum compleatur quoad unum actum determinatum solum. Secundo, potest requiri ut voluntas determinetur ad unum actum in specie, vel ad exercitium actus. Tertio, ut concursus Dei ad voluntatem, vel quoad speciem actus, vel quoad individuum determinetur; nam cum voluntas ex se sit indifferens ad plures concursus, non potest ab illa sumi determinatio ipsiusmet concursus, sicut fit in aliis causis naturalibus. Sed nullo ex his modis potest talis necessitas admitti, nedum probari; ergo nulla est. Consequentia satis probatur a sufficienti partium enumeratione: nullus enim alius titulus hujus necessitatis hætenus legi vel cogitari potuit, nec facile fingi posse existimo. Antecedens autem probatur per singula membra discurrendo.

4. *Non requiritur prædeterminatio ex voluntatis imperfectione.* — Primum facile refellitur ex dictis; ostensum est enim voluntatis indifferenciam, quæ liberam illam constituit, non esse ex imperfectione, sed ex eminentia activitatis et domini in suos actus, nam in virtute eminenti ita plures continet, ut quemlibet possit efficere vel sustinere; ergo propter defectum virtutis non indiget forma, vel actu determinante. Sicut divina voluntas indifferens est ad varios effectus; quia tamen illa indifferencia ex eminentia nascitur, ideo non indiget extrinseco prædeterminante, sed seipsa determinatur prout vult, ut ait D. Thomas, 1 p., quæst. 19, art. 3, ad 5. Libertas autem voluntatis nostræ est quædam singularis participatio divinæ libertatis, quoad intrinsecam facultatem sufficientem ad varios actus efficiendos, vel non efficiendos, ex intrinseca vi et perfectione etiam, si nullum impedimentum occurrat: nam hoc saltem est necessarium ad veram libertatem, quamvis in modo infinite distet libertas creata a divina: nam divina non est per immediatum ordinem ad plures actus internos ejusdem voluntatis, sed per solam habitudinem ad plura objecta creata, quia illa libertas est purissimus actus, sine ulla potentialitate: libertas autem potentiæ creatæ est immediate in ordine ad proprios actus internos, quia non est purus actus, sed semper habet aliquam potentiam passivam, ut latius D. Thomas, 1 contra gent., cap. 82. Atque hanc doctrinam expresse tradidit Scotus in 2,

d. 25, quæst. 5, ad ultimum argumentum, in quo eandem difficultatem proposuerat. Respondet autem voluntatem esse indeterminatam, tanquam formam perfectam et non diminutam, ideoque præsentato objecto posse se determinare, et etiam alia, et tandem ita concludit: *Potentia igitur rationalis perfecta, qualis est voluntas, quamvis sit contrariorum, poterit determinare se objecto præsentate ad unum illorum.*

5. *Argumentatur ad hominem.* — Neque possunt hanc partem negare, vel huic rationi contradicere alterius sententiæ auctores, qui, ut supra vidimus, fatentur concursum prævium non requiri in causa secunda, ut ex parte illius virtutem agendi seu actum primum compleat, convicti illa ratione, quia alias causæ secundæ non haberent in suo genere virtutem completam ad agendum; at hæc ratio multo magis urget in voluntate libera; ergo multo etiam magis in illa fateri debent præviam determinationem non requiri, ut illam in actu primo constituat, vel virtutem agendi suos actus compleat. Minor declaratur argumento sæpe a nobis repetito, et in hac parte ab ipsis probato, ut ibi etiam notavi; quia si voluntas per hunc prævium concursum constitueretur in actu primo et completa virtute proxima ad agendum, ante talem concursum non esset proxime ac perfecte libera, saltem quoad specificationem, seu quoad plures vel contrarios actus, ut jam late deduximus: hinc autem ulterius sequitur ut nunquam in re ipsa tali libertate utatur. Probatur hæc ultima illatio, quia per concursum prævium tantum completur virtus voluntatis ad unum actum efficiendum; ergo ad illum solum efficiendum habet tunc potestatem activam sufficientem, et non ad ullum alium; ergo etiam tunc non habet libertatem simpliciter ad plures actus; ergo nunquam illam habet.

6. *Absurdum ex adversariis circa omissionem actuum quæ fet ex impotentia sive incompletione voluntatis ad ipsos ponendos.* — Unde etiam fit ut, licet alios actus præter illum ad quem recipit concursum prævium, facere omitat, non possit hoc tribui libertati ejus, quia non ex sola voluntate illos omittit, sed quia impotens semper fuit ad illos efficiendos, quia nunquam fuit in actu primo constituta, nec virtutem completam habuit ad tales actus eliciendos. Et hinc facile inferri etiam potest, si hoc titulo est necessaria prædeterminatio, tolli libertatem quoad exercitium actus; nam prius tempore, vel natura quam voluntas recipiat ta-

lem prævium concursum, non est principaliter potens ad exercendum talem actum, ac subinde neque est libera, quoad exercitium illius; statim vero ac recipit illud virtutis complementum, non potest continere actum, seu non exercere actum ad quem eliciendum completur: nam hæc est vis physicæ prædeterminationis; ergo nunquam est voluntas libera ad exercitium talis actus. Sed hæc ratio ex professo tractanda est in libro 5, et paulo post hoc loco necessarium erit aliquid illi adjungere.

7. *Non est necessaria prædeterminatio ad determinandam voluntatem ad speciem, aut exercitium actionis.* — Secundum membrum supra positum fuit de necessitate prævii concursus in voluntate propter solam determinationem ad unum actum in specie, vel ad exercitium actus, quia causa indeterminata non potest in effectum determinatum prodire, propter rationem octavam prioris sententiæ in capite 27 propositam. Sed hanc etiam necessitatem nullam esse ostendimus ex principiis positis; quia potentia quæ habet sufficientem vim activam ad plures actus, et subest motioni liberæ voluntatis, per solum velle ejusdem voluntatis determinatur ad definitum seu particularem actum exercendum, ut patet in intellectu et potentia motiva; sed voluntas habet virtutem sufficientem ad eliciendos varios actus, et sibi ipsi subest (ut sic dicam) quoad liberam motionem; ergo seipsam determinat volendo, cum simultaneo concursu primæ causæ; ergo propter determinationem non indiget prædeterminatione. Minor probatur, quia voluntas non determinat alias potentias, nisi volendo ut operentur; sed ipsa volendo objectum vult etiam operari, ut declaravi: ergo proposito objecto sufficienter cum omnibus ex parte illius requisitis, volendo tale objectum, vult se applicare, seu movere ad talem actum, et ita se determinat, licet non sola, sed cum concursu Dei simultaneo. Explicatur in actu credendi; nam voluntas determinat intellectum ad actum fidei volendo credere, et ideo non est necessaria alia prædeterminatio in intellectu ad talem actum; sed volendo credere, vult velle credere, quia ipsum velle voluntarium est: ergo per ipsummet velle se sufficienter determinat; ergo est impertinens omnis alia prædeterminatio.

8. *Confirmatur a posteriori.* — Atque hæc quidem est ratio a priori hujus partis: a posteriori vero possumus illam confirmare, quia alias superflue auctor naturæ voluntati humanæ dedisset virtutem illam eminentem et